Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8496
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



erunt scripta deo. ⁊ hec fecerunt ei. Testimonium ergo perhibebat turba: que erat cum eo cum lazarum vocavit de monumento et suscitavit eum a mortuis. Propterea ⁊ obviavit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisei ergo dixerunt ad semetipsos. Videtis quia nihil proficimus. Ecce mundus totus post eum abiit. Erant autem gentiles quidam ex his qui ascenderunt ut adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad philippum qui erat a betsaida galilee: ⁊ rogabant eum dicentes. Domine volumus videre ihesum. Venit philippus dicit andree. Andreas rursum et philippus dicunt ihesu. Ihesus autem respondit eis dicens. Venit hora ut clarificetur filius hominis. Amen amen dico vobis nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit multum fructum affert. Qui amat animam suam perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo custodit eam in vitam eternam. Si quis mihi ministrat me sequatur. Et ubi sum ego illic ⁊ minister meus erit. Si quis mihi ministrat honorificabit eum pater meus. Nunc anima mea turbata est: ⁊ quid dicam: pater salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam. Pater clarifica tuum nomen. Venit ergo vox de celo. Et clarificavi: ⁊ clarificabo iterum. Turba ergo que stabat ⁊ audierat dicebat tonitrum factum esse: alii dicebant angelus ei locutus est. Respondit ihesus et dixit. Non propter me vox hec venit sed propter vos. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra: omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat: significans qua morte erat moriturus. Respondit ei turba. Nos audivimus ex lege quia christus manet in eternum: ⁊ quomodo tu dicis oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis? Dixit ergo eis ihesus. Adhuc modicum lumen in vobis est: ambulate dum lumen habetis: ut non tenebre vos comprehendant. Et qui ambulat in tenebris nescit quo vadit. Dum lumen habetis credite in lumen: ut filii

† et dicit andree. Andreas rursum et philippus: